ſimiles eſſe vellent, ipſiq; omnipotenti manu deiecti
vivi deſcenderunt in profundum inferni, qui ſi decubuiſſent
ceu Pauones caudam picturatam, coeleſtiumq; ſiderum
æmulam ad ſolis fulgorem pandantes, et in circulum ſeſe
circumagentes pedes contemplati, criſtas demiſiſſent?
et ſub potenti manu Dei ſe ſe humiliaſſent? quot
denique auari, quot ſicarij, quot fures, quot raptores,
ſacrilegi, ſacrorumq; hoſtes, ſi doloris lectulo affixi
fuiſſent, æternorum ignium cruciatus euaſiſſent?
Quam ſæpe enim fit oportunum aliquem febri, vel cum
alio morbo luctari, nempe ſi valuiſſet haud dubiè gra,
vi ſe ſe ſcelere obſtrinxiſſet, aut forte in hoſtium manus
deueniſſet, aut etiam ſi euaſiſſet vltorem Deum gra,
vius ſenſiſſet? Euoluite hiſtorias veterum, inſpicite
recentium volumina, et reperietis quam vtiles, quam
ve ſalutares ſint morbi, ac ægritudines: Legite Regum
Hebræorum geſta *, conſiderate Ezechiam regem Iuda
qui dum ægrotaret longiores vitæ dies à Domino im,
petrauit, aſt vbi conualuit, cum ei Rex Babylonis
miſſis muneribus de recuperata bona valetudine gra,
tularetur in mentis elationem lapſus, Deum graui,
ter offendit. Contemplamini Miphiboſeth Ionatæ filium
qui deleta Saul regis domo ſolus ſuperfuit, eo quod
vtroq; pede claudus prælio in quo ceciderant omnes
fortes Iſraël intereſſe non poterat, inſuper auitos a,
gros ſolus poſſedit, et דָּוִד מֶלֶךְ menſa quoad vixit
particeps fuit. Tantum ergo illi pedum ægritudo contu,
lit, vt et diutiùs, et felicius multò viueret, cum
alijs forſam occubiturus, ſi melius valuiſſet. Taceo